

# 609 Disp.XVI.Par.IV.de intellectu possibili. 610

**A**ctione, verbum diuinum repräsentans dicitur actus intelligentie; quia facit intelligentem: dicitur à memoria secunda, per memoriam secundam intellige habitualem notitiam, quæ non est respectu intellectus simpliciter, sed respectu intelligentis ut priùs cogniti.

Vnde dicitur eius proles, & in hoc differt ab intellectione: Ex dictis quoque colligere est, quod quandoquidem verbum non est quid distinctum ab actu intelligendi, nec proinde actus intelligendi habeat proprium terminum realiter distinctum, ita nec à fortiori volitio, quæ consequentia conceditur ab omnibus.

Sequitur, vt iudicium feramus de opinionebus in initio allatis: Prima quidem in eo videatur falsa, quod velit verbum formari ante actum intelligendi, sitque verbum impressio passiva causata à memoria in intellectu, sequeretur enim ex hac, quod verbum esset ante omnem operationem apprehensionis intellectus, quod aperte est contra S. Augustinum ordinari attribuentem cognitionem menti, tanquam operationem elicitan ab ea, omnisque operatio elicita ab intellectu est actus apprehensivus, ergo verbum in nobis non est principium intelligendi, sed potius actus intelligendi.

Opinio Scoti est nostra resolutioni conformis, dummodò intelligatur Scotus de actu intelligendi, & in eo relucet obiectum: Simetostem, & Hernæus ex diametro aduersantur resolutioni, sed abundè sunt impugnati ex rationibus in resolutione positis, verum quidem est, quod verbum sit imago, & idolum, sed negandum, quod sit aliquid distinctum ab ipso actu.

Aureolus vero nobiscum conuenit, in quantum dicit, quod verbum sit res ut producta in esse intellectu, sed præter hoc includit ipsum actum intelligendi.

Itaque concludendo dico verbum esse ipsummet actum intelligendi, seu actualem intellectiōnem, in quantum tamen actualis illa intellectio importat similitudinem obiecti in esse cognito; nam ille actus & habet quod sit actus, & quod sit similitudo; propter primum dicitur intellectio; propter secundum dicitur verbum mentis, seu conceptus, sed illa duo vnum sunt realiter.

Obijcīes primò: Debet potentia cognoscitiva fieri similis suo obiecto, vt dicatur illud cognoscere: sed non fit similis per intellectiōnem, quia similitudo, & dissimilitudo non sunt proprietates actionis, sed qualitatibus, vt docetur in Logica cap. de qualitate, ergo vnum ex his duobus erit dicendum, aut quod intellectio non sit vera actio, sed qualitas, quæ potentia redditur similis suo obiecto, aut quod sit vera actio, & tunc dicendum erit, quod producat aliquem terminum, qui sit qualitas, quæ qualitate fieri potentia similis obiecto, illaque qualitas dicitur verbum mentis.

Respondeo duplēcē esse similitudinem, vnam propriam, & alteram impropriam, quæ potius dicenda foret conuenientia quādam, quā similitudo: illa prior conuenit solis qualitatibus, at ista etiam actioni; nam una actio dicitur similis alteri, vna calefactio alteri calefactioni, per illam ergo actionem, quam dicimus

intellectionem, satis redditur similis potentia in intellectu a. 10 obiecto, id est conueniens, & proportionata ipsi, an autem intellectio sit vera actio, vel qualitas dicetur postea?

Obijcīes secundo: Verbum debet esse directe cognitum ab intellectu: sed actus intelligendi non directe cognoscitur ab intellectu, ergo actus intelligendi non est verbum.

Respondeo actum intelligendi posse considerari dupliciter: Primo præcisè in quantum actus est: Secundo in quantum est idolum, seu similitudo obiecti. Primo modo non cognoscitur directe, secundo verò sic; tunc enim est obiectum in esse cognito, & intellectu: aut dic verbum considerari, in quantum aliquid emanans ab intellectu, & sic non cognoscitur directe, quia omnia, quæ subiectantur in intellectu, cognoscuntur indirecte, & per lineam reflexam, at si verbum consideretur, in quantum repräsentat obiectum, tunc directe dignoscitur.

Obijcīes tertio: Ita differunt verbum, & actus intelligendi, sicut genitum, & generatum: sed hæc duo differunt tanquam actio, & terminus productus, ergo verbum, & actus notitia sic different, nam intellectio est operatio, & verbum est operatum.

Respondeo semper, quod actus intelligendi præ se fert duo, nempe in quantum procedit ab intellectu, & in quantum continet obiectum in esse intellectu: Primo modo est operatio, at secundo modo est operatum.

Obijcīes quartio: Illud est verbum interiorius, quod significatur verbo exteriori: sed ipse actus intelligendi non repräsentatur verbo exteriori, ergo actus intelligendi non est verbum.

Respondeo concedendo maiorem, & nego minorem de actu intelligendi, vt includit similitudinem obiecti, seu vt continet obiectum in esse cognito.

Obijcīes quinto: Quæ habent diuersa principia productiva, illa non sunt idem: sed verbum, & actus intelligendi habent diuersa principia productiva; nam verbum productetur per dicere, & actus intelligendi per intelligere, ergo actus intelligendi, & dicere non sunt idem. Deinde dictio non est actus intellectus: nam intellectio primò ortitur à memoria, secundò facta illa intellectiōnē sequitur actus, quo intellectus dicit, & format verbum, quod est quādam qualitas, & idolum simillimum obiecto, dicere ergo est actus mediusr inter intelligere, & idolum, seu verbum mentis.

Respondeo tamen, quod intelligere, & dicere non distinguntur prædicto modo, sed penes diuersas considerationes, nempe dicitur intelligere, in quantum ille actus productetur ab intellectu, dicere verò in quantum in illo actu reluet idolum, seu quatenus dicitur verbum, & vt est repräsentatiū obiecti.

Ex dictis haec tenus emergit alia difficultas, an actus intelligendi, seu verbum sit de genere qualitatis; an verò de genere actionis?

Baconius in 1. diffincl. 27. quæst. unica. art. 1. §. 4. imponit Scoto, quod velit esse de genere actionis; adducit enim Valsingham contra Scotum contendentem verbum non esse in genere actionis?

*an intellectus sit qualitas, ut obiectum, vel operatio, & actionis sunt diversae.*